





6

17

ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS

1718

16

FRIDERICVS AVGVSTVS
FISCHERVS D.


P. 339

SER. PRINC. ELECT. SAXON. IN PROVOCATIONVM
SENATV A CONSILIIIS DIGEST. INFORT. ET NOV.
PROFESSOR PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIALIS
SCABINATVS ET COLLEGII IVRECONSVL-
TORVM ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*De Dominic propter residuum proctum in fundum
restitutione referato*



ORDINIS JURIS

ACADEMIAE VIEMERENSIS

DECANVS

FREDERICVS AVGVSTVS

FISCHERVS D.

SEN. BRIT. BRIT. Saxon. in promotione


SENAT. A. CONS. H. DIEST. INF. L. T. O.

PROFESSOR PUBL. ORD. CIVIS PROVINCIAR.

SCABINVS ET COLLEG. JURISCONS.

TORVM. ASSessor

RECTOR I. R. E. N. O. L. O.



DE DOMINIO
PROPTER RESIDVVM PRETIVM IN FVNDORVM
VENDITIONE RESERVATO.

Solent, qui fundos suos vendunt, de residuo pretio pacto sibi prospicere, quo dominium rei quae venditur sibi reseruant, donec integrum pretium ipsis sit solutum. Pacta eiusmodi dominii reseruativa an Romaniam in emtionibus venditionibus adhibere soliti fuerint, diuersa est Ictorum sententia. Negat illud Schilterus Exercitat. ad π . 30. §. 56. et 76. contra quem disputat Leyferus in Meditationibus ad Pand. Spec. 479. Medit. 5. De eo tamen fati constare videtur, quod huius generis pacta Romani iuris principiis

a 2

non



non sint aduersa; conf. Huberus in Praelectionibus ad Pandectas Lib. 18. Tit. I. §. 12. et Hertius in Disquisitione de reservatione dominii vel hypothecae in re vendita Sect. I. §. 1. Quin imo illos haud errare existimo, qui non obscura eorum vestigia in L. 20. §. 2. et 21. π. locati conducti nec non in L. 20. π. de precario se deprehendere arbitrantur. Moribus nostris pactum quo venditores dominium sibi reseruant donec pretium penitus solutum sit, et probari, et frequentari, satis est manifestum; ipsis etiam Saxoniae nostrae legibus confirmatur in Ordinat. Processus recognita Tit. XLII. §. 2. et veteri dicto Titulo §. 3. cuius posterioris sententiam iisdem fere verbis exprimit *die Amts- und Gerichts-Ordnung des Marggrafthums Ober-Lausitz*, Parte I. §. 24. Class. I. n. 1. Vi huius reseruati dominii, emtore stato tempore pretium non solvente, rem venditam vindicari et tantisper, donec pretium solutum sit, retineri a venditore posse, a Ictis traditur; quae sententia naturae dominii conueniens est et in legibus satis fundata. Colligunt exinde venditorem, quando emtor foro cedit et concursus oritur creditorum, vt huic se immisceat et edictali, qua creditores conuocantur, citationi morem gerat, opus non habere, sed vi dominii reseruati rem venditam vindicare posse et eius impedire subhastationem. Vid. Hertius in Disquisit. alleg. Sect. I. §. 15. et Carpzouius P. I. Constit. 28. def. 21. Sed haec in Saxonia nostra longe

Ionge aliter se habent omnia. Leges enim supra memoratae venditori, qui propter residuum pretium dominium sibi reseruat, nihil tribuunt amplius quam hoc, ut aliis emtoris creditoribus in re vendita praeferatur, eumque illi exaequant, qui hypothecam sibi in fundi venditione reseruat. Hinc Leyserus in Meditat. ad Pand. loco supra adducto, in Electoratu, ait, Saxoniae, pactum, quo dominium reseruat, insignem illum effectum, ut venditorem concursui creditorum eximat, non habet amplius, sed cum pacto, quo hypotheca constituitur, prorsus exaequatum est; et Bergerus in Oecon. Jur. L. 13. Tit. 5. §. 7. n. 6. eiusmodi dominium, spectata rei veritate, nihil aliud esse censet, quam ius hypothecae, atque in Elect. Discept. for. Tit. 42. Obs. 4. n. 2. perinde esse arbitrat, utrum dominium an hypothecam venditor sibi reseruarit.

Aequalis igitur apud nos est conditionis, orto in primis creditorum concursu, ille venditor, qui in securitatem residui pretii dominium sibi reseruat, cum eo a quo reseruata fuit hypotheca. Pari uterque iure censetur, et quae in eo obtinent creditore, qui in re vendita sibi reseruat hypothecam, ad illum etiam trahi debent, qui reseruando dominium de residuo pretio sibi prospexit. Neesse igitur est, ut hic posterior, aequae ac prior, in termino, quem liquidationis vocant, compareat et creditum suum apud acta profiteatur, quamuis, si hoc ab eo



neglectum fuit, ipsum, ad exemplum creditorum hypothecario-
rum, eo iure, quod in Rescripto d. 27. Iun. 1737. ad Dicaste-
ria dato, constitutum est, frui, eumque intra annum adhuc ad-
mitti, existimem. Hinc is, qui dominium fundi sibi refer-
uauit, non potest ipsum fundum petere, sed, vt fundo
publice vendito ex pretio eius, eo ordine, qui in Ord. Proc.
recogn. Tit. 42. est constitutus, sibi satisfiat, debet expe-
ctare. Hinc partem fert expensarum in vtilitatem concursus
factarum, et fundo sub hasta vendito dominium eius reserua-
tum, pari modo ac hypotheca, expirat. Hinc venditor, qui
per dominii reseruatiorem ratione pretii-residui sibi cautum
esse vult, ante traditionem iudicalem, aeque ac is qui hypo-
thecam in fundo vendito sibi reseruat, hac vti debet reserua-
tione, quia retinere non possumus id, quod in alterum a no-
bis iam est translatum. Hinc reseruatio haec, si prioritatis ef-
fectum orto creditorum concursu venditori tribuere debet, vt
iudicialiter fiat, necesse est. Debet porro in venditione bono-
rum feudaliu[m] domini directi consensus in reseruatum domi-
nium impetrari, bonis autem allodialibus venditis, reseruatio
haec, quando contractus emtionis venditionis a iudice confir-
matur, annotari et libris inferi consensualibus. Haec enim
aeque ab eo qui dominium, ac ab illo qui hypothecam in fun-
do vendito sibi reseruat, obseruanda esse, eisque neglectis
prio-

prioritatis ius cessare, sancitum est in Ord. Proc. recogn. Tit. 42. §. 7. verbis. *Rückständige Kauf-Gelder, weswegen sich der Verkäufer das Eigenthum oder die Hypothec an dem verkauften Guthe gerichtlich vorbehalten, und darüber bey Lehn-Güthern Consens erlanget, oder bey Erb-Güthern solches bey der Confirmation mit anmerken und in die Consens-Bücher eintragen lassen, ingleichen An- und Erbe-Gelder und Tuge-Zeiten, wenn deswegen ebenfalls die Reseruatio Hypothecae oder Dominii, auf Art und Weise wie jetzt gedacht, gerichtlich geschehen, gestalt außer dem dergleichen Kauf- und Erbe-Geldern keine Priorität zustehen soll.*

Equidem haud ignoro nonnullos in ea esse opinione quod verba modo laudatae legis: *und darüber, ad casum reseruatae hypothecae tantum pertineant, non autem ad alterum, reseruati scilicet dominii, sint trahenda; ex quo, reseruantem sibi dominium rei venditae, residui pretii nomine prioritatis iure frui, colligunt, licet fundo feudali vendito domini directi consensum non impetrauerit, vel allodiali in alterum translato, hanc dominii reseruationem a iudice notari librisque inferi consensualibus, neglexerit. Sed, vt legem generaliter disponentem restringamus ad casum specialem, reseruatae scilicet hypothecae, sufficiens ratio non adest. Vt enim alia omnia, quae huic sententiae repugnant, in praesenti silentio omittam argumenta, prouoco ad vnum illud, quod deducitur*

ex



ex Mandato Electorali d. 6. Iunii 1772, emissio, *die Annotation des Vorbehalts der Hypothec oder des Eigenthums wegen rückständiger Kauf- ingeleichen An- und Erbe- Gelder auch Togezeiten bey denen bey den Churfürstl. Lehns- Curien releuirenden Erb-Güthern betreffend.* Dum enim legislator, initio statim huius Mandati dubium ortum fuisse ait, an, quae in Ord. Proc. recogn. Tit. 42. §. 7. de annotatione reservationis *hypothecae vel domini* et iure prioritatis exinde oriundo, disposita leguntur, etiam ad ea bona allodialia, quae curiis feudalibus subsunt, sint applicanda, manifeste declarat eam esse Ord. Proc. rec. dicto loco mentem, quod annotatio haec non in casu reservatae hypothecae tantum, sed eo etiam, quando dominium a venditore reservatur, sit necessaria, et quod verba illa Ord. Proc. recogn. in quibus annotationis huius mentio fit, de utroque, et hypothecae et domini reservati casu, sint accipienda; quem etiam in modum, correcta priore sententia, pronunciauit Prouocationum Senatus Termino aestiuo 1775. *im Landwüßslichen Concurs.* Sed de his alio tempore forsán plura, iam ad illud me conuerto negotium, cuius causa haec praefatus sum. Significandi nimirum sunt honores, quos ab Ordine nostro sibi tribui cupit Candidatus noster.

VIR NOBILISSIMVS. ATQVE DOCTISSIMVS,
 CAROLVS FERDINANDVS SCHMID

qui in vtraque Saxoniae nostrae academia bonis litteris et iuris
 disciplinae laudabilem nauauit operam. Vitae studiorumque
 suorum rationes ipse sequentem in modum exponit:

Islebiae, oppido in comitatu Mansfeldensi, a venis metallo-
rum, quorum ingens illic prouentus, nobilitato, ortum ego
debeo CAROLVS FERDINANDVS SCHMID, in lucem editus
ibi, anno huius saeculi quinquagesimo. Pater, quem adhuc
uiuum colere mihi contingit, mihi exstat IOANNES CHRI-
STIANVS SCHMID, Marienbergae oriundus, rebus metalli-
cis Mansfeldensibus atque Thuringicis praepositus atque Ele-
ctori Saxoniae a Consiliis, quae ad committenda spectant.
Matrem, quam praematura morte mihi ereptam, pia, qua
par est, memoria prosequor, habui CHRISTIANAM FRIDE-
 RICAM D. CHRISTIANI FERDINANDI WAPPENHENSCHII,

~~—————~~
ciuitatis Islebiensis Consulis, filiam. Cura optimi Patris, a primo vitae meae initio, eo versabatur cum primis, ut mores formarentur ingenio prius atque maiore nisi cum diligentia, pari certe, neque minore. Quare non solum omnibus, quibus impertiri solet puerilis aetas, a domesticis erudiebar praeceptoribus, sed etiam humanitate vel ab ipso Patre optimo magis magisque imbuebar. Decimum septimum agens annum BAVMEISTERI, cui prae caeteris plurima debere gaudeo, doctrina ante diem priuatus inlytam Academiam Lipsensem adii. Ibi vero ciuium academicorum numero adscriptus a Magnifico BELIO, elegantioribus litteris studere coepi. Philosophiae fontes mihi recludebat WINKLERVS, b. m. RV-DOLPHVS prima mathematicae initia tradebat; BÖHMIO historiae utebar duce, latinitatis, ERNESTIO. His igitur instructus subsidiis iurisprudentiae vacavi SAMMETIO I. C. celeberrimo, auspice. Deinde BREVNINGII, SCHOTTII, ZOLLERI atque WILKII praelectionibus non desui. Ita
quin-

quinque annorum spatium emensus, minus quidem publicas scholas frequentavi, duo tamen circiter annos litteris colendis in Lipsiensi Academia consumsi, donec fama Academiae Vitenbergensis, per tot annos magis aucta, quam deminuta, ita me totum caperet, ut in hanc litterarum sedem demigrarem. Hic loci quidem dudum in animo habui, meum qualemcumque studiorum decursum rite probare iudicibus eruditione longe celeberrimis ac de re litterata optime merentibus, si forte dignum me censerent, cui summi honores in utroque iure decernerentur. Mearum vero mihi conscius virium, saepius haesi atque in ipso quasi limine restiti dubius, donec labantem animum tot Patroni confirmarent humanissime. Itaque tandem examinandos ac suis momentis ponderandos meos profectus illustri ICtorum ordini permisi, de quibus euentus iudicii ille fuit, quem pro ratione petitionis modestissime exposita exspectare poteram.

Cum

Cum itaque in vtroque examine, ex more a maioribus recepto, cum ipso instituto, virtutem doctrinamque suam Ordini nostro satis probasset, non dubitauimus eum ad vltimum admittere specimen quod ab illis edendum est, qui ad summos in vtroque iure aspirant honores. Editurus est illud d. XII. Ianuarii, quo, Praefide Viro Excellentissimo atque Consultissimo Io. Car. Gebh. Reinhardo, D. Iur. feud. Profess. publ. Facult. iur. atque Iudic. prouinc. in Lusat. infer. Assessore ord. Collega mihi coniunctissimo, dissertationem inauguralem de dominii acquisitione per procuratorem, publice defendet. Quem actum solemnem vt *Rektor Academiae Magnificus, Patres conscripti, litterarum Fautores, nec non Generosissimi ac Nobilissimi Academiae Ciues* honorifica sua splendidiorem reddere velint praesentia, et Collegii nostri et meo nomine obseruantissime rogo.

P. P. Dom. I. post Epiphan. A. S. MDCCLXXVIII.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS.

ULB Halle

3


002 265 427



(f) 56.







ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS

1718

16

FRIDERICVS AVGVSTVS
FISCHERVS D.

SER. PRINC. ELECT. SAXON. IN PROVOCATIONVM
SENATV A CONSILII DIGEST. INFORT. ET NOV.
PROFESSOR PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIALIS
SCABINATVS ET COLLEGII IVRECONSVL-
TORVM ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*De dominio propter residuum pretium in fundum
restitutione reservato*

